

*Lettera al Comune di Pisa relativa
al risarcimento dei danni subiti nel
porto pisano e nell'isola di Piombino.*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Lettera al Comune di Pisa relativa
al risarcimento dei danni subiti nel
porto pisano e nell'isola di Piombino.*

1266-10-26

Karolus etc. Potestati, Capitaneo, Ancianis, Consilio et
Communi Pisano, dilectis amicis suis salutem etc.

Nuper enim Nicolaus Maletta, quem proditorem nostrum
minime ignoratis, paratis in terra vestra et cum
vestro favore galionis duobus, eis Theotonicis militibus
comunitis, intendebat cum illis nec non et cum
uno alio, quem preparaverat in Plumbino, quod est
de vestro districtu, versus Calabriam et Siciliam
in favorem Frederici Lancee aliorumque nostrorum
rebellium proficisci; propter quod Nos, ne libere possent
in offensionem nostram procedere, armavimus easque
fecimus non sine sumptibus necessariis comuniri. Boos
vero de Sancto Pagano et Gerardus de Sanciano, milites
familiares nostri et de hospitio nostro proprio, post
multas eis in portu vestro et per vestros irrogatas iniurias,
in quinquaginta libris turonensium dampnificati fuerint.
Et infestum videtur esse quibusdam vestris concivibus
inspicere etiam signa nostra, dum quidam civis
Gaietanus fidelis noster signis nostris sua vellet insignire
vexilla, illaque apud Pisas faceret preparari, fuerunt
non sine nominis nostri contumelia de preparatorum
eiecta manibus, scissa in frustra et pedibus conculcata.
- Galionum etiam, in quo Robertus de Baro etc. suam
ad Regnum reduci faciebat uxorem, nec signum quidem
nostrum est elevare permissum, vestris mercatoribus
in quodam galiono de Plumbino id prohibentibus, et
proponentibus illis de galiono dicti Roberti prelium si
contrarium attemptarent.

Poncius insuper de Villanova et frater Gastonus
de Pistilat ac Raymondus Cantelmi, nuncii nostri
de Provincia venientes, apud Plumbinum fuerunt
graviter verberati. - Nec relinquimus sub silentio

quam imprudenter contra Nos et honorem nostrum nonnulli de vestris concivibus, etiam in Regno nostro morantibus, linguam laxant, famam nostram suis oblocutionibus publice impetere non verentes. Nos igitur, licet hec ex comuni omnium vestrum consensu ac voluntate procedere non credimus..., universitatem vestram actente requirimus... quatenus infra kalendas februarii proximo venturas pro omnibus de premissis iniuriis... satisfactionem et emendam condignam... Nobis impertiri studeatis. Quod si hec infra terminum ipsum nolueritis adimplere, omnes concives et mercatores vestros, qui in Regno Sicilie ac Provincia aliisque terris nostris morantur, infra kalendas subsequentis mensis marcii de terris ipsis protinus revocetis, quoniam ex tunc nulla ipsos volumus in eisdem terris libertate vel immunitate aut securitate gaudere...

Datum Neapoli, XXVI octobris, X ind., Regni n. a. II.